



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Acta Synodalia Osnabrvgensis Ecclesiæ, Ab Anno Christi
MDCXXVIII.**

Brogberen, Johannes

Coloniæ Agrippinæ, 1657

Populus docendus, quid agatur & significetur in consecratione Templorum
& Altarium. 13

urn:nbn:de:hbz:466:1-14298

vinum habuit ; quemadmodum Exod. 31, &
2 Paralip. 22, legimus. Vngit præterea se-
cundum Ecclesiasticam confuetudinem, quum
consecratur Altare ; quum dedicatur templum ;
quum benedicitur calix ; idque non solum ex
mandato veteris legis , verum etiam exemplo
beati Sylvestri , qui , quum consecrabat Altare ,
illud Christi perungebat. Verum Vnctio-
nis Sacramentum , aliud quidem efficit &
figurat , tam in novo quam in veteri Testamen-
to. Vnde non Iudaizat Ecclesia , quum Vn-
ctionis celebrat Sacramentum , sicut aliqui
mentiuntur , qui neque Scripturas neque Dei
novere virtutem.

C A P. XIII. *Populus docendus , quid
agatur & significetur in consecratione
templorum & altarum.*

Quamobrem populus docendus est , h̄c
aliud agi , atque aliud significari , quum
consecratur templum. Funduntur preces Do-
mino , ut hunc locum sibi peculiariter dedica-
tum esse velit , ut diabolum & ejus potestatum
inde penitus expellat , ut omnes , qui huc de-
precatur convenientiunt , ex quacunque tribula-
tione consolationis Divinæ beneficia conse-
quentur , ut ab omnibus , pariter convenienti-
bus , Deo laudes solvantur , Divinum verbum
audiatur , ac Ecclesiastica Sacra menta mini-
strentur. Peculiariter Altare consecratur , ut
illuc oblatio munda Deo offeratur , hoc est ,
Sacramentum Corporis & Sanguinis Christi ,
quod in memoriam Passionis Dominicæ im-
molamus. Quod vero , præter preces , ad-
spersionis etiam atque unctionis aliarumque
rerum solemnia adhibentur , mysterii secretio-
ris plenum est : non quod inanimata ista gra-
tia Divina susceptiva sint ; sed , quum hæc vi-
sibiliter fiunt , admonetur Christianus , Deum
omnia hæc per invisibilem virtutem in anima
operari , quæ est domus Deo dedicanda , ubi
fides fundamentum facit , spes erigit , & chari-
tas consummat. Signat ergo templi dedica-
tio , tam fidelis animæ , quam Ecclesiæ , cum
Christo desponsationem. Ipsa enim Ecclesia
Catholica , ex multis vivis lapidibus adunata ,
verum Dei templum est. Quod si Dei tem-
plum sumus , altare intus habemus. Altare
quidem nostrum , cor nostrum est. In hoc
Altari fit sacrificium laudis. Sacrificium enim
Deo , spiritus contributus & cor contri-
tum. In hoc Altari fit commemorationis Cor-
poris & Sanguinis Christi : hinc preces ad
cælum ascendent : ad cor enim respicit Deus.
Quamobrem , nisi omnia , quæ in hujuscemodi
consecratione exterius aguntur , in nobis spi-
ritualiter impleantur , parum hinc fructus no-
bis accesserit. Quid enim exterior ablutio vel
inunctio sine interiori prodest ?

c. 1. & f.
de sac. m.

2 Reg. 6.

x Cor. 3.
6.

Psal. 50.

C A P. XIV. *Cur benedicantur Campanæ.*

Benedicuntur quoque Campanæ , ut sint
tubæ Ecclesiæ militantis , quibus vocetur
populus ad conveniendum in templum , & au-
diendum verbum Dei ; Clerus vero ad annun-
ciandum mane misericordiam Dei & veritat-
em ejus per noctem , ut per illarum sonitum
fideles invitentur ad preces , & ut crescat in his
devotio fidei . quamvis etiam Patres alio re-
spexerint , videlicet ut dæmones tinnitu cam-
panarum , Christianos ad preces concitantium ,
terreantur , quin potius precibus ipsi , territi ,
abscedant , illisque submotis , fruges , mentes
& corpora credentium serventur ; ut procul
pellantur hostiles exercitus & omnes insidia
inimici , fragor grandinum , procellæ turbini-
num , impetus tempestatum & fulgurum tem-
perentur , infesta tonitrua & ventorum flami-
na suspendantur , spiritus procellarum & aëreæ
potestates prosternantur ; breviter , ut , audiен-
tes , configuant ad sanctæ Matris Ecclesiæ grec-
ium , ac ante sanctæ Crucis vexillum , cui fle-
bitur omne genu ; quemadmodum hæc in so-
lemni benedictione Campanæ reperies.

Philip. 2.

C A P. XV. *Docendus populus , ut signa-
tis potius , quam signis , inhæreat.*

Docendus est ergo populus ab exteriori-
bus ipsis , ut signatis potius quam signis
inhæreat ac intendat. Quod & in omnibus
aliis obtinet cæmoniis ; alioquin parum ad
pietatem profuturis. Nam , qui in exteriori-
bus ipsis consistit , ac non potius illis admone-
tur ut ad Deum respiciat , configuat , ac totam
suam fiduciam in illum collocet ; huic citius
externa ista in subversionem , quam ædifica-
tionem , erunt.

C A P. XVI. *Quicquid in cærimonie
ad abusum spectat , caute ac dili-
genter vitandum.*

Quamobrem , quicquid in ejusmodi re-
bus ad abusum & superstitionem spe-
ctat , & quo populus à Deo ad collocandum
in externis ipsis aliquam fiduciam abduci pol-
lit , prohibemus. Quale inter alia est , quod
Sanctorum imagines cum indulgentiis & im-
positione incertarum reliquiarum dedicantur ;
quod quidam aqua , sale , cereis , ac herbis be-
nedictis , in medicandis pecoribus , superstitio-
ni abutuntur. Omnis quidem creatura per
verbum Dei & orationem sanctificatur ; quem-
admodum divus Paulus testatur. Ergo , quan-
to res sacrator , tanto abusus ejus damna-
bilius.

C A P.

Placit
de cons.
dist. I.

I Tim. 4.